



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Omnia Latina Scripta Matthiæ Flacij Illyrici**

**Flacius, Matthias**

**Magdeburgæ**

**VD16 F 1296**

Tertia Pars, In Qva quædam argumenta Adiaphoristarum confutantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36647**

TERTIA PARS, IN QVA  
quædam argumenta Adiapho-  
ristarum confutantur.

**R**eliqua est tertia huius scriptionis  
pars, in qua necesse est argumenta  
Adiaphoristarum confutare, qui-  
bus illi suas adiaphoricas fraudes con-  
tegere & ornare conantur. Quo labore  
Christo iuuante absoluto, totum hoc  
opus absoluerimus.

Sunt autem plæraq; eorum argu-  
menta, ut de decentia, ordine, confor-  
mitate, disciplina, scandalo accepto, &  
alijs quibusdam in præcedentibus so-  
luta, quare iam reliqua soluenda erunt.

Respondetur argumento, Ne  
ueniant Romani & Cœ-  
lum ruat.

**P**rimum igitur dicamus de præci-  
pua eorum argumento, quod re-  
uera præcipuum & propemodum  
unicum est, propter quod omnia faci-  
unt. Verentur, ne ueniant Romani, &  
tollant gentem & locum, id est, metu-  
unt plus



unt plus homines quam Deum, eos qui  
possunt tantum corpus interficere, quã  
eum, qui potest corpus & animam in  
æternũ exitium abijcere. Ad hoc argu-  
mentum quinque modis respondeo.

Primus. Non certo eis constat uen-  
turum hostem, si sic Ecclesiam Christi  
non turbauerint. Sunt passim adhuc  
imbecilliores politiæ, quæ, cum non-  
dum characterem bestiæ acceperint,  
nondum tamen sunt a Diabolo deuo-  
rata. Scimus etiam cum his annis 30.  
tum & prioribus temporibus atque adeo  
inde a condito orbe sæpissime accidisse,  
ut istiusmodi prægrandes nubes hor-  
ribilẽ tempestatem minantes leuissimo  
uento a pusillo grege Christi abactæ  
sint. Talem autem euentum petere & ex-  
pectare fidei munus est.

Secundus. Non constat cuiquam  
per Adiaphora posse impediri Tyran-  
nos, ne sæuiant contra Ecclesias. Satan  
& eius seruus mundus non potest pla-  
cari leuibus quibusdam, ut isti ea appel-  
lant. Nec habent quicquam promissi a  
monarchis Adiaphoristæ, &, ut habe-  
rent, quantũ eis fidendũ sit, experientia

D d 3 omnes,



omnes, non sine magnis *διδάκταις*, do-  
cuit & docet. Ego profecto propter om-  
nes eorum promissiones nolim unicū  
Christi pusillum scandalizare.

Sed quid de potentum uoluntate  
diuinamus? Satis ipsimet se declarant  
tum factis tum scriptis, nempe quod ue-  
lint totum Interim ad uerbum seruari.  
Nisi quod tantus est hominū epicureismus,  
ut petulanter uelint decipi, miserimūque  
esse pati aliquid pro Christo iudicent.

Adhæc parum est christianum, ne  
dicam Theologicum, credere quod of-  
fendendo Deum & placando homines  
pacem habere possimus. Nam Tyranni  
sunt tantum ueluti uirgæ quædam in  
manu Dei, teste ipso Deo apud Esaiam,  
quare manus & nō uirga placāda esset.  
Offendi autē Deū his actionibus superi-  
us probatū est. Quod si possibile esset  
placare uirgam inuita manu, ne nos ce-  
deret, tum uero uerendū esset, ne manus  
abiecta uirga malleum arriperet, quo  
nos penitus comminueret.

Tertius modus. Longe satius esset  
teste Christo, pati, ut alligata mola asi-  
naria in medium Albis ab Hispanis  
projice

projice  
Christi  
magis  
deberet  
fit) C  
Ecclesi  
ficam  
abijce

N  
disced  
ret ali  
conci  
utrum  
cesse e  
tur po  
aliqui  
uel fu  
largie  
deben  
ut par  
rito u  
ratur  
mi de  
docte  
næ m  
quam  
mi pr



proijceremus, quam unicum paruulum  
Christi scandalizarem, multo uero  
magis hæc & quæuis grauisima pati  
deberemus, quam tam infinitis ( ut iam  
fit ) Christi paruulis offēdiculū darem?  
Ecclesiam Satanae proderemus, & salui-  
ficam confessionem ueritatis Christi  
abijceremus.

Nec statim esset necesse pastorem  
discedere a suo ouili, etiamsi non dona-  
ret aliquot ouiculas lupis, Etiamsi alibi  
concionatores nondum claudicant in  
utrumq; latus, nondum tamen fuit ne-  
cesse eos discedere a suis Ecclesijs. Patiā-  
tur potius pastores una cum suis ouibus  
aliquid a lupis, quam muti canes fiant,  
uel fugiant, uel subinde aliquas oues  
largiendo lupis eos placent. Cogitare  
debent, sibi Christi oues commissas esse,  
ut parētib⁹ liberi, magistratui ciues, ma-  
rito uxor, & Christo Ecclesia. Huc refe-  
ratur erudita disputatio nostri Ioachi-  
mi de eligendo minori malo, qui pie &  
docte probat omnia uel grauisima pœ-  
næ mala minora esse, potiusq; eligenda,  
quam leuisissima culpæ. Constantiā ani-  
mi præstare in persecutionibus Eccle-



fiæ præcipua pars est glorificationis  
Dei. Sed de Adiaphoristarum argu-  
mento, Ecclesia deferenda non est, di-  
cam aliquid in fine solutionis huius ar-  
gumenti.

Hic illi nobis ueluti Aiacis clype-  
um opponunt conseruationem scholæ  
Vittebergensis, quod ex ea re ingens  
commodum accedat Ecclesiæ & Reip:  
quæ conseruari non posset, si doctores  
constanter nostram religionem tueren-  
tur, nec in ulla eius parte impijs cedere  
uellent. Ad quod respondeo, agnosce-  
re quidem me ingens bonum esse scien-  
tiam tum in Ecclesia, tum in politica,  
sed tamen sic, si cum charitate & sancta  
constantia coniuncta sit, id est, si glo-  
riæ Dei & utilitati proximi seruire pa-  
rata sit, siq; ea, quæ semel uera esse cog-  
nouit constanter amplectitur, & uel cū  
summo periculo tuetur. Nam ea cog-  
nitio, quæ uel suis tantum commodis  
& ambitioni seruit, uel parata est in  
omnes species se uertere, ueritatemq; ad  
potentum cupiditates attemperare po-  
tius, quam se in extrema pericula pro-  
ijcere, diabolica sapientia est, omnibus  
q; modis Ecclesiæ perniciosa. Quin



Quin etiam scientia non cōiuncta  
istis tantis malis, si modo coram Deo  
stultescere non uult, neq; fide regi, sed  
ipsa regere & imperare, tum totis Ec-  
clesijs tum singulis hominibus pernici-  
osa est. Quid enim aliud Petrum sub-  
mersit, & nos hoc tempore submergit,  
& multos homines in æternum exiti-  
um immergit, quam, quod non uolu-  
it, & nos non uolumus sola fide solum  
Christum respicere, sed etiam simul  
humana sapientia uentos, mare, & un-  
das circumspēctamus: Hęc est illa ue-  
teris Adami impia sapientia, quam  
tantopere Lutherus insectabatur, quam  
q; ipse pulcherrimum Diaboli scortum  
(uerissimo nomine) appellabat.

Proinde ualde uerendum est, ne  
nobis tales scholastici inde prodeant,  
qui metu periculi aut etiam spe com-  
modi fucare papisticos abusus & chri-  
stianam religionem ad potentum cu-  
piditates inflectere discant. Putabunt  
sat scio multi me hoc prauo quodam  
affectu loqui, Sed uereor, ne olim cum  
magno animi dolore, & graui Eccle-  
się dāno me uerissima loquutū experi-

D d s

antur.



antur. Nec enim tantum doctrinam,  
sed simul etiam mores & consilia præ-  
ceptorum solem<sup>9</sup> imbibere, naturamq;  
eorum sequi. Adhæc & uoces plero-  
rumq; tales audiuntur, ut dicant, Lu-  
therum fuisse nimium uehementem,  
peccare potuisse, fuisse hominem, ce-  
dendum iam esse, & tempori seruien-  
dam. *Ja warlich S. Georgs geist  
wird jzt das rechte mittel treffen.*  
Audio, etiam quendam magnum illic  
Midam, nouum istum D. confiteor,  
dicere solere, papistas nimium coluisse  
diuam uirginem, fecisse enim ex ea de-  
am, Lutherum uero nimis parum eam  
honorasse, quarendum esse ergo medi-  
um aliquod. Item quidam senex theo-  
logus, cum de cuiusdam magnæ ciuita-  
tis pastore ante paucos menses delibera-  
retur, dixisse fertur, oportere eis mitte-  
re talem aliquem, qui se inflectere sciat.  
Id est, arundinem quouis uëto agitã.  
Proinde homines, qui pietatem nostrã  
inuiolatam ad posteros conseruatam  
cupiunt, deberent in hoc incumbere, ut  
in Ecclesijs Lutherani (ut ita loquar)  
theologi, & nõ Philosophici, id est, cõ-  
stantes educarentur, Vehẽ

V  
& gra  
nuper  
aliqua  
stanti  
theolo  
ex astr  
anno  
nullu  
peritu  
stante  
onibu  
& dis  
rei spe  
postea  
metu  
Christ  
ita ha  
clesiar  
penitu  
M  
tum a  
schola  
nem a  
extren  
am c  
am c



Vehementer probo cuiusdam pij  
& grauisimi concionatoris dictum, qui  
nuper affirmabat se cupere nos habere  
aliquanto minus doctos & tanto con-  
stantiores theologos. Nihil necesse est  
theologum tantopere eruditum esse, ut  
ex astris futura diuinet, ac dicat hoc 48.  
anno erit eclypsis lunæ 22. Aprilis, inde  
nullum est dubium C. mense Augusto  
periturum. Quare nolimus interea cō-  
stanter reclamare istis nouis reformati-  
onibus, sed uolumus omnia simulare  
& dissimulare, & aduersarijs nullius nō  
rei spem facere, ut nos missos faciant,  
postea cum ille perierit, tum nos, sine  
metu ac periculo martyrij, constantes  
Christi confessores esse poterimus. Atq;  
ita hac uere bacchantica hypothesi Ec-  
clesiam Iesu Christi sic regere, ut eam  
penitus euertant.

Melius profecto esset, non uno tan-  
tum anno, sed multis nullam usquam  
scholam esse, quam quod ita confessio-  
nem abijciendo tum religionem nostrā  
extreme labefactamus, tum & contrari-  
am confirmamus. Adhæc & glori-  
am cœlestis patris horribiliter uiola-  
mus



mus, dum nimis obscure lucet lux no-  
stra coram hominibus. Præclarum fu-  
isset, & Christum sua auditoria, quæ sæ-  
pe tam frequentia habuit, retinere. Item  
Apostolos Hierosolimis suam scholam  
inconcussam seruare. Sed tamen malu-  
erunt dissipari eam, quam in ulla parte  
impijs cedere, aut eorum traditiones  
confirmare.

Incolumitas scholæ Vittebergen-  
sis nimis multarum Ecclesiarum ruina  
constitit. Ideo enim tantum peperce-  
runt eis aduersarij, ut suis scriptis & ua-  
cillatione (quod fore facile tum ex ip-  
sorum literis ad Carlouicium, Obern-  
burgium & alios, item historia Pomer-  
tium & ex colloquio animaduenterunt)  
adiuarent alias Ecclesias labefactare, &  
pios languescere. Idq; profecto illi  
mutationes suadendo & passim pro-  
mouendo diligenter fecerunt, nimitū  
eo summo studio tendunt, ut C. M.  
(sicut in Lipsico Interim de se profi-  
tentur) animaduertat eos uelle etiam in  
religione obediētes esse, atq; ideo eos  
non molestet.

Adhæc potuisset & alibi Deus nos  
& no

& nos  
modo  
habuit  
tenti &  
mus:  
dixi.

Ver  
quin, t  
hodie  
fuisse  
am de  
nisi fu  
ce anni  
textit )  
cumqu  
promo  
subdit  
hoc no  
logi fu  
cōstan  
prodij  
te theo  
mea ap  
Co  
genes  
earum  
bem t



& nostrum auditorium colligere, si modo commoda, quæ Vittebergæ habuimus, deferere, minoribus esse contenti & aliquamdiu exulare potuissimus: quod ego sæpe summis coram dixi.

Verum ego profecto non dubito, quin, si constantius egissent theologi, hodierna die schola Vittebergensis fuisset firmitior, quam est, nam, ut taceam de Dei benedictione (cui, si soli innixi fuissimus, protexisset nos, sicut hisce annis 30. contra furorem mundi protexit) neque principes neque episcopi circumquaque ita temere suum papatum promouere ausi fuissent, tanta fuisset subditorum constantia. Quin etiam hoc non dubito, quod, si nostri theologi fuissent constantes, omnesque ad constantiam hortati fuissent, Interim non prodijisset. Interim natum est ex timiditate theologorum Vittebergenium, quod ego in mea apologia ad scholam abunde probavi.

Certe non tanti mille Vittebergenses scholæ pijs esse debent, ut propter earum incolumitatem uelint pati orbem terrarum Euangelij luce priuari, quod



quod profecto iam magno impetu fit, dum non solum non hortantur pios ad constantiam, ut tantos uiros omnino facere oportuisset, sed etiam hortantur, ut faciāt mutationes, ac Antichristo cedant. Frangunt pios, confirmāt impios, ut ipsimet fatentur, quod dum agunt, manifeste non pro Ecclesia illa schola stat, sed pro impijs. Quare, si uero zelo gloriae Dei, salutis miserorum hominum, & retinendae puritatis in nostra religione argumentum hoc expendatur, & non inani quadam priusq; concepta opinione, inuenietur nihil eo esse leuius & uanius.

Quartus. Sunt quaedam tempora, & quaedam horae potestatis tenebrarū, ut ex tota Ecclesiae historia apparet, quibus & Diabolo permittitur aliquantum liberius furere contra Ecclesiam, & Christus uult suam Ecclesiam constanter confitendo pati. Tales paroxisimi, cum in his regionibus iam longo tempore non fuerint, non dubito, quin iam aduenerint. Video enim ubiq; bonos pati & Christum quasi de industria suos istis humanis praesidijs spoliasse,  
& ue

& uel  
probe  
ter qu  
de sic  
maner  
uir) p  
quam  
consta  
at, & n  
mibi i  
Christ  
talem  
P  
cum b  
aliqua  
Sed cū  
optim  
neno i  
nos ar  
ta relig  
sicut &  
tem fu  
experie  
magni  
conter  
nostra  
mabit



& ueluti Satanae cribrandos dedisse, ut  
probet eos, & exploret, quam constan-  
ter quisque uelit ipsum confiteri. Proin-  
de sic statuo, si quis in his regionibus  
manens (praesertim in Ecclesia magnus  
uir) possit iam inuenire rationem ali-  
quam, qua & bonam conscientiam &  
constantem confessionem retinere que-  
at, & nihilominus crucem effugere, is  
mihi ipso Dei filio sapientior fuerit: Na  
Christus, qui tamen nihil temere fecit,  
talem sapientiam inuenire non potuit.

Postremus. Nobis iam non est res  
cum bonis & modestis hominibus, qui  
aliquantulum cedendo leniri queant:  
Sed cum Dei hostibus, qui, ut natura sint  
optimi, tamen ita sunt Diabolico ue-  
neno infecti, ut extremo odio contra  
nos ardeant, nec possint nisi abiecta to-  
ta religione placari, & sunt Thrasydifi,  
sicut & Diabolus pater eorum, sequen-  
tem fugiunt cedenti instant, ut etiam  
experientia nos docuit, nam Lutherum  
magnificerunt & timuerunt, nos iam  
contemnunt & conculcant. Quare ista  
nostra trepidatio & celsio tantum ani-  
mabit, & iam animat eos, ut plura ma-  
ioraque



ioraq; petant, hoc ego saepe coram Phi-  
lippo, approbante eo, dixi: Quin & tri-  
stis experientia nos hactenus edocere  
posset, quam parum ista sapiens lenitas  
Ecclesiae proficit, quam praedolore iam  
commemorare non possum. Hactenus  
de praecipuo, & ferme unico Adiapho-  
ristarum argumento, Ne ueniant Ro-  
mani, cui quidem, ut ego iudico, plus  
satis hactenus responsum est. Eo uero  
confutato iacent penitus Adiaphora.

De argumento, Ecclesia non est  
deserenda.

**O**bjiciunt subinde Adiaphoristae,  
Ecclesiam non esse deserendam,  
Sed quid sit Ecclesiam deserere  
non satis exponunt, ludunt igitur nos,  
ut solent, sophismate,

Deserere Ecclesiam non est ad tem-  
pus propter aliquas iustas causas alicui  
de cedere. Sed est uel impiam doctri-  
nam pertinaciter amplecti, qua ratione  
quiuis Christianus Ecclesiam deserere  
potest, uel uero cum Doctores fiunt  
muti canes, suoq; debito patrocinio  
Ecclesias destituunt, aut cum pacis a lu-  
pis con-

pis co-  
giunt  
Christi  
loco  
ceden  
occaf  
clesia  
& exil  
tatis a  
risaica  
Quod  
usq; su  
doctri  
me &  
mur )  
uero n  
traditi  
rum u  
tum u  
seruiss  
illuc fu  
tatem.  
aliticis  
fession  
confir  
aliticar  
pinger



pis consequendæ gratia aliquid eis lar-  
giuntur, ad eorumq; rapinas conuiuēt.  
Christus ex Nazareth uel aliquo alio  
loco ob impiorum crudelitatem dis-  
cedens, & cogitans quam primum per  
occasionem reuerti, non deserit eam Ec-  
clesiam, sed sua constanti confessione  
& exilio eam ædificat, & in audita ueri-  
tatis assertionem superstitionumq; Pha-  
risaicarum damnatione confirmat.  
Quod si, quo posset liberius tranquilli-  
usq; suos cœtus congregare, uoluisset  
doctrinam de iustificatione timidissi-  
me & frigidissime, uel ( ut iam loqui-  
mur ) modestissime docere, Phariseos  
uero molliter tantum attingere, eorum  
traditiones seruare, atq; ita manifesto-  
rum ueritatis hostium gratiam ambire,  
tum uero & Ecclesiam & ueritatem de-  
seruisset. Sic Elias toties iam huc iam  
illuc fugitans impiam Achabi crudeli-  
tatem, non deserit suam Ecclesiam Ba-  
aliticis lupis, sed eam sua constanti cō-  
fessione & tristi exilio in uera sententia  
confirmat. Quod si Elias uoluisset Ba-  
aliticis aliquas cæremonias recipere, eas  
pingere & excusare, Baalitis parcere &  
Ec tantum



tantum in genere ( ut Lyp. Theol. Epi-  
stola ad cōcionatores Alb. Mar. habet )  
abusus reprehendere, atq; ita tempori  
seruire: quo hac sua modestia ( ut iam  
uocatur ) regium furorem molliret, quo  
sic, si non optimas, at aliquas saltem  
Ecclesias haberet, tum uero ille & de-  
seruisset & prodidisset Ecclesias Dei im-  
pijs. Cogitassent enim pleriq; , en iste  
summus uir in nostra Ecclesia uideatur  
pacis gratia in utrumq; lat<sup>9</sup> claudicare,  
ne offendat regem, id mihi profecto,  
qui nulla ex parte ei cōparandus sum,  
multo magis licet. Quare ita langue-  
facti celsissent & concessissent, Ne ha-  
buisset Ezabel multos duos stoicos &  
horridos sui regni turbatores, quorum  
sanguinem funderet, sicut iam nostrū  
solum non multos martyres fert,

Sic Paulus cædens Epheso ob im-  
piorum sæuitiam, accogitans porro  
Ephesios uel coram uoce per occasio-  
nem, uel absens scripto confirmare, nō  
deserit Ecclesiam, sed sua constanti con-  
fessione & afflictione eam confirmat.  
Verum si publicæ tranquillitatis gratia  
Ephesæ Dianæ uestes, ritus, imagines  
& ali-



& alias ceremonias in Ecclesiam inducere, aut Pharisaicas obseruationes restitueret, & ad multa coniuere uoluisset, tum uero & eam & alias infinitas Ecclesias a se edificatas, & plane totam posteritatem deseruisset, uel potius prodidisset.

Sic Athanasius toties malens discedere a sua Ecclesia quam Arrianis aliquid concedere, aut in compositione causae, generalitatibus & ambiguitatibus uti ( sicut iam in Lypfico Interim factum est ) non deserit suam Ecclesiam, sed eam sua oratione, scriptis, constanti confessione, & tristi exilio, multipliciq; sua cruce confirmat, & usq; in hodiernam diem Ecclesiam Christi docet & corroborat. Satius est fortunas, corpora, & coet<sup>9</sup> piorum turbari, quam conscientias, & Spiritum Sanctum.

Spiritualis iste lupo, id est, Diabolus aut falsus Doctor, non prius deuorat ouem Christi, quam in animo ei assensa est, facilius autem assentitur ouis lupo, cum uidet proprium pastorem iam facere amicitiam cum lupo, & canes latrando eum non amplius accusare, quam, si uidisset & Pastorem

E e 2      storem



storem & canes serio lupo resistentes  
aliquid pati.

Verissimum igitur est, quod illi  
Ecclesias deserunt, qui uel impia dog-  
mata pertinaciter sequuntur, uel cum  
possint, aut etiam ex officio debeant  
serio lupis resistere, muti canes fiunt,  
aut præ metu cum lupis pacem faciunt.  
Qui uero lupis etiam aliquas fenestras  
& ianuas aperiant, ij ouile Domini pro-  
dunt, etiam si omnes isti in medio gre-  
gis Domini magnam casam haberent,  
& nunquam inde recederent.

Econtra illi non deserunt Ecclesi-  
am, sed Ecclesiæ adsunt, qui & pia dog-  
mata sequuntur, & Ecclesiam ac religi-  
onem tum orando, tum docendo, tum  
exilium, paupertatem, ignominias, &  
quæcunq; mala acciderint, patiendo,  
tum & quacunq; alia ratione possunt,  
defendunt, ab omnibusq; erroribus ac  
errorum conspicuis occasionibus tuen-

tur, etiam si singulis annis ali-  
quoties ab Ecclesia & ex  
suis laribus usq; in me-  
diâ Turciam in ex-  
ilium pelle-  
rentur.

Re

Resp  
pte

I Am  
non  
se, si  
ic obie  
fession  
um ch  
torum  
arum,  
omnes  
plum  
perius  
tiones  
nes, ea  
quod  
stores  
tione  
etiam  
tantop  
unt &  
Pseud  
tum,  
quæ D  
præfer



Respondetur Argumento, Propter non necessaria pugnandum non esse.

**I**am dicam de argumento, propter non necessaria pugnandum non esse, si modo necessaria retinemus. Huic obiectioni primum respondeo, confessionem esse necessariam cum omnium christianorum, tum in primis tantorum Doctorum & tantarum Ecclesiarum, idque præsertim hoc tempore, quo omnes in eos respiciunt, eorum exemplum imitaturi. Ostensum autem est superius præsentis adiaphorum mutationes plane esse quasdam abnegationes, easque tanto turpiores & nocetiores, quod eas integræ Ecclesiæ, & tanti Doctores cum ingenti damno & languefactione omnium piorum faciant. Necessario etiam amouenda ea sunt, quæ Ecclesiam tantopere, tamque multipliciter destrunt & scandalizant, ut superius de istis Pseudadiaphoris prolixius est declaratum. Necessario & ea tollenda sunt, quæ Deum contumelia afficiunt, sed præsentis mutationes Deum contume-

Re E e 3 lia af



lia afficere, superius uere probatum est, Neceffe est etiã corruptelis doctrinæ repugnare, quas iã in istis nouis Interim multiplices magnasq; esse superius clare ostensum est: Proinde necessario ex Ecclesia remouendæ sunt. Quare plane de necessarijs hoc tempore pugnatur, & nõ de iocularibus quibusdam, aut de alba ueste, sicut Adiaphoristæ impudenter sophisticantur.

Deinde quæro, quæ hæc audacia est, quod homines ausint aliquid de Ecclesiæ thesauris sibi a filio Dei donatis largiri hostibus Dei? Si quis ad Adiaphoristas prandentes ueniret, ablatifq; omnibus alijs ferculis & obsonijs diceret, se eis necessaria ad uitam sustentandam, nempe panẽ & potum, relinquere, quibus contenti esse deberent, & de reliquis non magnopere contenderent: Responderet ei, opinor cantharo in caput proiecto, quis te huc Cacodæmon adduxit, ut tu uelis mihi, quod tibi liber auferre aut relinquere? Ego uolo mihi mea relinquere, siue necessaria, siue utilia, siue demum iucunda sint.

Ita si illi de suis rebus carnalibus sentiunt

tiunt  
ritua  
Quo  
tũ ca  
nem  
fissim  
eiusm  
tum  
tam t  
tia pr  
nulli  
ment  
sit pu  
pios  
ualet  
non  
Re  
A  
C  
quas  
nostr  
rumo  
nam



tiunt, quare eodem modo etiam de spi-  
ritualibus Ecclesiæ bonis non sentiūt:  
Quo iure illi, ut cætera omittam, tan-  
tū cantilenas uulgares Lutheri, ad om-  
nem ædificationem profecto longe uti-  
lissimas, ex Ecclesia remouent: Hæc &  
eiusmodi dona a Filio Dei per Spiri-  
tum S. suæ sponsæ Ecclesiæ donata nō  
tam turpiter uentris & incertæ pacis gra-  
tia proderè deberemus. Plane igitur  
nullius momenti debet esse istud argu-  
mentum (quod tantum de necessarijs  
sit pugnandum) apud pios: Apud im-  
pios enim epicureos merito plurimum  
ualet, quia eis tota Religio quiddam  
non necessarium esse uidetur.

Respondetur Argumento, in  
Adiaphoris proximo ser-  
uendum est.

**C**ontendunt etiam Adiaphoristæ  
in cæremonialibus seruiendum  
esse proximo, accipiendas esse ali-  
quas papisticas cæremonias, ut papistas  
nostra lenitate, modestia, cæremonia-  
rumq; similitudine ad nostram doctri-  
nam inuitem<sup>9</sup>. Sic Paulū factū esse om-  
nia om-

Ee 4

nia om-



nia omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret, Nostra ista horriditate & ueluti inhumanitate, adhuc caeremoniarum dissimilitudine absterreri papistas a nostra doctrina.

Ad hoc respondemus, ut usitate & uerissime responderi solet, duplices esse homines a uera doctrina alienos, alios imbecillos quidem adhuc, dociles tamen & ueritatis cupidos, alios uero pertinaces & persecutores ueritatis. In gratiam pertinacium plane nihil cedendum & illi magis in suo furore confirmetur & aliquid de autoritate nostrae religionis decedat. Sed imbecilli tollerandi sunt, cauendumque est ne imprudenti libertatis Christianae usu eos offendamus, ac a nostra doctrina alienemus.

Sic Paulus omnia omnibus factus est, scilicet docilibus & non pertinacibus, ut omnes lucrifaceret Christo. Timotheum in gratiam piorum Iudeorum circumcidit, Titum in gratiam pseudoapostolorum circumcidere noluit, quin ne ad horam quidem eis cesset, ut ueritas incolumis remaneret. Pe  
trus ue

trus  
tiam  
los d  
zaba  
epi  
perf  
S  
ror  
aude  
peric  
am i  
pho  
adu  
& u  
Eco  
& Sp  
fian  
ne fi  
duca  
ne d  
bita  
étrin  
lant  
ant,  
quo  
adh  
qua  
mo



trus uehementer peccabat, quod in gra-  
tiam pertinacium Iudæorum imbecil-  
los & tamen dociles ethnicos scandali-  
zabat. Ii, quib⁹ nos iā cedim⁹, Tyrāni &  
episcopi, sūt manifesti agnitæ ueritatis  
persecutores & nō imbecilles & dociles.

Sed me hercules uehementer demi-  
ror Adiaphoristas hoc argumentum  
audere in medium adducere, cum & ex-  
perientia clara uoce clamet, & ipsi eti-  
am in suis scriptis fateantur, per Adia-  
phoricas mutationes adeo confirmari  
aduersarios, ut nusquam non iubilent  
& ueluti de parta uictoria triumphent.  
Econtra uero ideo pij extreme mœreant  
& Spiritus S. in ijs contristetur, langue-  
fiant ita, ut plane in nostra religio-  
ne frigeant, in dubitationem adeo in-  
ducantur, ut iam de tota nostra religio-  
ne dubitent, atq; ita debilitati & in du-  
bitationem inducti, quouis uento do-  
ctrinæ facile in aliquos scopulos impel-  
lantur, nec amplius inuocare Deū que-  
ant. Proinde plane satis mirari nequeo,  
quod hoc argumentum Adiaphoristæ  
adhuc in medium adducere audeant,  
quasi ipsi per sua Adiaphora pie proxi-  
mo seruiant. **Ee s** **Es**



Est & alia quædam huius argumen-  
ti interpretatio, quidam enim epicuri  
de grege porci intelligunt, quod in cæ-  
remonijs sint omnia simulanda & dis-  
simulanda, ne pij propter Christum per-  
sequutionem patiantur. Verum Paulus  
loquitur non de corporis temporaria  
salute, sed de animæ æterna, de scanda-  
lo & ædificatione spiritualis hominis,  
cui in Adiaphoris aliquando seruiendū  
est. Sed quid cum istis ageres, qui om-  
nia ad uentrem referunt: eiq; Deo soli  
uictimas offerunt: Argumenta sum-  
pta a disciplina, ordine, cōformitate &  
unitate, quibus fucis istæ fraudes ornan-  
tur, superius satis refutata sunt.

Hactenus Christo iuuante abunde  
de Adiaphoris dictum est. Nam primū  
ostendimus, quæ sint uera adiaphora, &  
quod eorum causæ efficientes esse de-  
beant mandatum Dei generale, libera  
piaq; Ecclesiæ uoluntas & ministri, qui-  
bus Ecclesia mandat. Causæ finales esse  
debeant ordo, decencia & omnino ædi-  
ficatio, non carnalis sed spiritualis.

Deinde ostendi præsentia Adiapho-  
ra, quæ nunc Ecclesiæ Christi ab Adia-  
phoristis

pho  
neq;  
re, q  
cien  
tur f  
batu  
ra c  
non  
tur,  
Idq;  
olin  
natu  
rio p  
loni  
  
roru  
ben  
fed e  
tum  
etia  
ædi  
mer  
bau  
non  
  
fent  
ut o



phoristis obtruduntur, neq; efficientes  
neq; finales causas adiaphororū habe-  
re, quin nec formalē aliqua. Causas effi-  
cientes non habent, quia non accipiun-  
tur secundum mandatū Dei, imo pro-  
batum est instaurari iam ista Adiapho-  
ra contra mandatū Dei. Item quia  
non de uoluntate Ecclesiæ instauran-  
tur, sed ei inuitæ per uim obtruduntur.  
Idq; ab ijs personis, quas Spiritus S. iam  
olim prædixit regnum Christi oppug-  
naturas, utq; eis nō obtemperaremus se-  
rio præmonuit, nepe a meretrice Babi-  
lonia & bestia, in qua meretrix equitat.

Causas finales piorum Adiapho-  
rorum non habent, imo contrarias ha-  
bent, non tantum non seruiunt ordinī,  
sed etiam turbant ordinem, non tan-  
tum non condecorant Ecclesiam, sed  
etiam dedecorant, non tantum non  
ædificant, sed etiam destruunt uehe-  
menter, ut in prioribus euidenter pro-  
bauimus. Adhæc & contumelia Deum  
non uno modo afficiunt.

Causam formalē quædam ex præ-  
sentibus Adiaphoris non habent, quia,  
ut ostensum est, aliqua sua natura sunt  
impia,



impia, & seuerissime a Deo prohibita, etiamsi nullæ præterea malæ circumstantiæ eis adiunctæ essent, Postremo & omnia Adiaphoristarum argumenta confutauimus. Demonstratum enim est neq; metum tantum apud pios ualere debere, ut corporeæ securitatis gratia aliud in religione, in gratiam Antichristi & Tyrannorum mutare debeant. Neq; moueri nos debere argumento, quod de non necessarijs pugnandum non sit, agi enim de longe grauisimis rebus. Probatum itidem est non seruii fraternæ charitati & ædificationi per istas mutationes, sed destrui pios per præsentis actiones plane uehementissime.

Reliquum igitur est, ut agnita rei ueritate constantissime ei adhareamus, quid enim notitia prodest, si eam constanter sequi non uelis? Melior est uiator, qui, cum uel mediocriter iter norit, strenue pergit, quam alius, qui, ut optime norit, tamen uel ob ignauiam, uel ob timiditatem, aut etiam alias causas institutum cursum non tenet, sed uel iacet alicubi, uel etiam per deuia hac atq;  
illæ



illac oberrat. Vt iam admodum parui  
momenti sit quorundam eximia qui-  
dem illa, sed tamen impotens scientia,  
qui cum meliora uideant & nonnun-  
quam etiam probent, tamen deteriora  
ultro sequuntur, atq; adeo etiam alijs  
suadent. Nec eos ignorantia ueri deci-  
pit, sed timor, aut etiam alijs prauis affe-  
ctus.

Vt uero agnitam ueritatem sequi  
constanter possimus, opus erit nos uer-  
bum Dei diligenter meditari, in quo il-  
le tum pollicetur constantibus æternæ  
uitæ præmia, tum inconstantibus æter-  
na supplicia minatur, ut, Qui perseue-  
rauerit usq; in finem, coronabitur: Qui  
confessus fuerit me coram hominibus,  
&c. Item, qui negauerit me coram ho-  
minibus, negabo eum coram cœlesti  
patre, &c. Similia in sacris literis extant  
plurima.

In primis autem caueamus nobis  
ab ista cogitatione, ne forte nobis sic  
blandiamur, uolumus ad tempus cede-  
re, donec C. moriatur, postea iterum  
ad ueritatem redibimus. Horribiles  
enim minæ talibus proponuntur, Amen  
dico



dico uobis, non gustabunt de cibis meis. Item immittet eis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio.

Quibus minis & fidissimis cœlestis patris admonitionibus præmoniti discamus plus timere Deū, qui potest corpus & animam perdere, quā homines, qui tantum corpus, cū Deus eis permittit, interficiūt. Discamus satius esse omnia corporis mala perpeti, quam unicū pusillum Christi scandalizare.

Verum non tantū nos uerbo Dei instruamus, ut ipsimet simus constantes, sed etiam, ut tum alios fratres nostros confirmare, tum & inconstantiam suadentes fortiter oppugnare, ac τοῖς οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῶ ἐναγγελίᾳ in faciem resistere, & os obstruere, ut Paulus loquitur, possimus.

Longe profecto grauius peccant nostri Adiaphoristæ, quam olim Petrus Gal. 1. peccabat. Ipse enim tantum facto, idq; breui in gratiam pertinacium uacillabat, nostri id faciunt etiam docendo, idq; amplius annū. Petrus peccabat magis in cæremonialibus, sed nostri etiam doctrinam corrumpi in Lipsicō  
Interim

Inter  
pœn  
& in  
oster  
simil  
dent  
dam  
(qui  
alia e  
tu cr  
pecca  
stant  
ritua  
id est  
mon  
um f  
sceler  
Petru  
nostr  
confi  
lang  
ne p  
hodi  
pergu  
Pa  
stiana  
piun



Interim patiuntur, In capite enim de  
pœnitētia fides penitus omittitur, item  
& in alijs articulis, quod alibi prolixè  
ostensum est. Ipse non suadebat alijs, ut  
similia faciant, nostri uehementer sua-  
dent. Ille faciebat incogitantia qua-  
dam & non metu crucis, nostri uero  
(qui optimi ex eis sunt, nam Iudarum  
alia est ratio) quæ faciunt, tantum me-  
tu crucis faciunt, nec ignorantia ueri  
peccant, quod priora scripta eorum te-  
stantur. Petrus haud dubie habebat spi-  
ritualem finem, nostri habent carnalē,  
id est, incertam spem pacis. Petrus ad-  
monitus resipuit, nostri defendunt su-  
um factum, & admonentes nullius non  
sceleris atq; adeo schismatis insinuat.  
Petrus paucos quosdam scandalizauit,  
nostri sua uacillatione impios quidem  
confirmarunt & armarunt, pios uero  
languefecerunt & debilitarunt & pla-  
ne plurimas Ecclesias euerterunt. Idq;  
hodierna adhuc die scientes serio facere  
pergunt.

Proinde omnes pij, qui adhuc Chri-  
stianam religionem incolumen esse cu-  
piunt, plane in faciē Adiaphoristis resi-  
stere



stere debent, unusquisq; suo loco. Nā profecto non recta incedunt ad ueritatem Euangelij, uel potius perdunt & produnt ueram religionem. Nec quicquam refert, quod sint magni uiri aut bene meriti, etiā si essent Petri aut Pauli aut angeli de cælo, tamen ei resistendum est. Idq; etiam tanto magis faciendum iam est, quanto maiores sunt, tanto enim plus eorum istæ pessimæ actiones obsunt.

Sed repetunt subinde Adiaphoristæ, quid igitur faciendū est, si in adiaphoris non est cedendum aduersarijs? Quomodo eos placabimus? nam, si non placauerimus, Ecclesiæ nostræ penitus euertetur, &c. Respondet Spiritus S. Subditus esto Domino, obedias ei, & expecta eum. Quoniam ostensum est ex uerbo Dei ista præsentia adiaphora multipliciter impia esse, & a Deo prohiberi, ideo reiectis istis impietatibus, subijciamus nos uoluntati diuinæ, parati ad obediendum ei in omnem euentum, in quem nos nostraq; omnia Deus perducere uolet. Expectemus tamen simul Domini misericordiam eum ardentē

dent  
cem  
lum  
iustit  
mun  
da m  
S  
obed  
gelu  
qui h  
Nos  
sum  
Deus  
as fer  
nos n  
perfe  
fide,  
entia  
onem  
plane  
strum  
bella  
ctis su  
cit. C  
uare a  
qui p  
dere a



o. Nā  
uerita-  
unt &  
c quic-  
iri aut  
Pauli  
sisten-  
s faci-  
s sunt,  
ssimā

denter implorando, & patienter cru-  
cem nostram ferendo, etiamsi pericu-  
lum sit, ne fractus illabatur orbis. Fiat  
iustitia inquit Augustinus, & pereat  
mundus. Non sunt, teste Paulo, facien-  
da mala, ut ueniant bona.

Si propter nostram erga Deum  
obedientiam damnum accipiet Euan-  
gelium & Ecclesia, uiderit ipse Deus,  
qui hanc nobis obedientiam præcepit.  
Nos certe habebimus iustam apud ip-  
sum excusationem. Veruntamen ipse  
Deus nouit adhuc sine nobis mille ui-  
as seruandi Euangelium & Ecclesiam,  
nos modo nostrum faciamus officium  
perseuerantes in obedientia, timore,  
fide, confessione, inuocatione, pati-  
entia, ipsiq; committamus gubernati-  
onem mundi & Ecclesiæ. Lutherus  
plane Christiane monet, inquit, No-  
strum est confiteri, & non diuinare  
bella futura. Deus est mirabilis in san-  
ctis suis, ipse deducit ad inferos, & redu-  
cit. Qui sua sapientia sine Deo uult sal-  
uare animam suam, ille perdet, eam, &  
qui propter Dominum paratus est per-  
dere animā, saluabit eā. Projiciam<sup>9</sup> igi-

Ff

tur nos



tur nos in Dominū constanter confitēdo & patiēdo, ipsi erit curæ de nobis.

Vt autem tum nos ipsi constantes esse possimus, tum & suadentibus inclinationem resistere queamus, non satis est nostra uoluntas aut uerbi diuini cognitio, nam profecto illud animi robur, quod in talibus certaminibus a Christiano homine requiritur, singulare Dei donum est. Quare toto pectore inuocemus Patrem Domini nostri Iesu Christi, a quo omne bonum desursum uenit, quiq; & uelle & perficere dat, eumq; obsecremus, ut nos suo S. Spiritu regat, & confirmet, ut & cernere ea, quæ ad conseruationem ueritatis faciunt & constanter facere eadē, ad ipsius gloriam, miserorūq; hominum salutem possimus. A-  
M E N.



AD  
ILL  
am in  
gust  
ch

C  
i  
a  
ta mi  
da esse  
hoc t  
quoni  
prolix  
sona  
presen  
lud m  
cum p  
Filiu  
bent,  
piscat  
infant  
alia te  
tam ex